



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Musa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

authoritatis jam validissime corroborata, clarissimusque haberetur. Quin ea signare, qui quoque subsecuti principes, perseverarunt.

PROSPERITAS. CAP. IX.

Quod vero pertinet ad Alexandri imaginem, persuasum olim fuit, pervulgata inter homines opinione, illi prospere omnia successura, omnesque ejus actiones adjuvari, qui Alexandrum vel auro vel argento expressum gestaret, adeo ut Macriana familia, quam suo tempore nobilissimam Romae fuisse Trebellius attestatur, Alexandri effigiem consueverit habere quasi familiarem, apud viros quidem in auro vel argento, apud mulieres in reticulis, & dextrocheriis, & in annulis, & in omnium ornamentorum genere. Quin & Antoninus Severi filius Alexandri studiofissimus fuit, cujus imagines cum passim renovasset, mortales, ut huic ejus studio adularentur, statuas aliquot erexere, quae uno corpore facies duas gestarent, Alexandri scilicet & Antonini. Quam quidem superstitionem Chrysofostomus acerrima infectatur increpatione: nam & eo tempore abusus hujusmodi circumligandi aurea Alexandri Macedonis numismata capiti vel pedibus, aut erri nondum potuerant.

DIVINA PROVIDENTIA. CAP. X.

In Theodosii & aliorum, qui eo seculo fuerunt Imperatorum insignibus, in atrio praesidis Theodosios nuncupati argumentum hoc pictum spectabatur, cujus exemplum in quodam ejus militiae ordinum, officiorumque canone descriptum Romae apud Maestros inspexi. Tabula est libris quodam ordine dispositis onusta, quorum nonnulli syllabariis quibusdam notis inscripti sunt, quibus per compendium contentae in eis rationes indicabantur, alii nihil praescriptum habent. Supra tabulam fastigium attolitur, in media cujus facie geniis duo latum sustentant orbem, in quo caput inlar humani, cujus ita inscriptio est, DIVINA PROVIDENTIA. In angulis vero tabula, quae descriptos, uti diximus, libros continet, singulis capita singula sunt apposta, quorum superius a dextera inscriptionem circumductam ostendit, VIRTUS, alterum a laeva, SCIENTIA, inferius a dextera, AUMORITAS, quartum a laeva, FELICITAS. Quod quidem, ut puto, innuit rerum omnium gerendarum summam a Deo primum emanare: eumque conciliandum in primis, ut nostra omnia foveantur. Mox necessariam esse virtutem, quippe animosum, aptum, & idoneum esse debere hominem, qui praecleara sit facinora aggressurus. Verum virtutem solam parum prodesse, nisi accellerit & disciplina, cujus scientia eruditi, & tempora & occasiones interno scamus. Sed enim & haec, & illa vix sufficient, nisi & autoritas adjuncta fuerit, qua milites populique sub imperio contineantur, justique non contanter exequantur. Unde legas de Vespasiano, cum esset jam a militibus salutatus Imperator, autoritatem & quasi majestatem quamdam inopinato scilicet, & adhuc novo principi defuisse, quae non prius accesserit, quam e plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem pro tribunali pariter adissent, orantes, ut Tranquillus ait, opem valetudinis demonstratam a Serapide per quietem, restitutumque oculos, si inspuisset: confirmatumque erus, si dignaretur calcem contingere, cumque vix fides esset rem ullo modo successuram, ideoque ne experiri quidem auderet, extremo hortantibus amicis palam pro concione utrumque tentavit, nec eventus defuit, atque ita, quod primum desiderabatur, autoritatem indeptus est. Sed & quarta necessaria est, felicitas quippe: licet enim animis valeas, experientia sis eruditus, autoritateque communis, nisi tibi res feliciter cedat, rure plerumque omnia, & elabi in irritum experieris. Addita hinc & altera tabula cum eisdem libris & librorum notis, & geniis in fastigio orbem cum capite sustinentibus, sed angulares circuli affixi adscripta habent nomina singula singuli, VER, AESTAS, AUTUMNUS, HYEMS: ut scilicet admoneamur, diligenter nos animadvertere debere, ut suo quoque tempore agantur, procurenturque.

MUSA. CAP. XI.

Nudum autem mulieris caput, quale Nympharum fingunt, nullis gestaminibus appostis, quae hieroglyphici notitiam afferre solent, sed quod comam habeat nonnumquam ab occipio modo comprehensam, nonnumquam in humeros negligenter diffusam, Diodorus Musae hieroglyphicum esse contendit: cujus dicto standum, cum in hujusmodi rebus indagandis non incuriosus fuerit, tamen nonnumquam sententiam ex vulgo mutuatur.

TER-